

aut etiam populus sensum legis explicat per actuum frequentiam: quæque dicitur consuetudo secundum legem. Hac autem consuetudine dicuntur leges firmari. Ita Gratianus in can. 3. dist. 4. ubi hæc scribit 'leges instituuntur, promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur'. Quo in canone verbum 'firmantur' non eo sensu sumendum est, quatenus requiratur acceptatio populi ad legem confirmandam, nam lex in sua firmitate intrinseca constituitur per promulgationem legislatoris; sed lex firmatur moribus populi, quia melius observatur, nec facile per contrarios actus destruitur aut immutatur.

38. Secunda est *doctrinalis* quæ etiam scholastica dicitur, quæque nihil aliud est quam communis sententia Doctorum explicantium verbum obscurum legis. Hæc debet esse communis et uniformis. Hæc interpretatio licet auctoritatem aliquam habeat, tamen vim legis non obtinet, et proprie limites probabilitatis non excedit, tantique facienda, quantum rationes, quibus innititur, vim habent. Hæc interpretatio doctrinalis fieri nequit de veritatibus fidei, de quarum sensu jam constat ex Ecclesiæ definitione; 2º. neque de canonibus disciplinaribus Concilii Tridentini. Nam Pius IV. in Bulla 'Benedictus Deus' 10. Febr. an. 1564. inhibuit 'Prælatis sub interdicti ingressus Ecclesiæ, aliis vero sub excommunicationis latæ sententiae pœnis, ne quis sine auctoritate Rom. Pont. audeat ullos commentarios, glossas, adnotationes, scholia, ullumque omnino interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæsito colore statuere'. Horum decretorum interpretatio peculiari congregationi commissa est. Auctores autem de sensu horum canonum loquentes, explicationibus a S. Conc. Congregatione latis adhærent. Id vero factum est ut vitium impediretur nimium latas producendi interpretationes legum, quemadmodum jam incœperant a tempore Conc. Tridentini.

39. Tertiæ generis interpretatio est ea quæ *authentica* dicitur, quæ nempe ab auctoritate legitima perficitur; quæque legis vim obtinet, verum enim legis sensum exhibit. Authenticam hanc interpretationem proponit legislator aut ejus successor; nemo enim aliis potest legem imponere. Hinc Valentinian. et Marcian. in L. 9. C. h. t. decernunt 'si quid vero in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id (ab) Imperatoria interpretatione pate-

fieri, duritiamque legum nostræ humaniti incongruam emendari'. Hæc interpretatio usuali et doctrinali præfertur. Immo doctrinalis quæ authenticæ adversatur falsa existimatur.

40. De Legum cessatione. — Legis obligatio cessat cessante ratione seu fine legis in communi: c. 60. de appellat. Et merito quidem, quia non præsumitur legislatorem velle tueri amplius illam legem, quam ad bonum commune instituit, et modo vel inutilis vel etiam noxia communitati evasit. Dixi 'in communi' quia in casu speciali et pro individuis lex viget, licet non verificetur fortassis finis legis. Lex enim generale bonum intendit, et in hac hypothesi locum habet adagium juridicum 'finis legis non cadit sub lege'.

41. Cessat 2º. abrogatione vel derogatione. Abrogatur lex cum legitime omnino tollitur. Abrogatur autem vel per contrariam consuetudinem, vel per ipsum legislatorem ejusque successorem, circumstantiis mutatis. Derogatur legi quando ea pro parte immunitur vel mutatur. Hæc porro derogatio fit dupli modo: 1º. si aliquis articulus a lege auferatur, 2º. si aliquis casus particularis excipiatur.

42. Tertius modus cessationis in lege est dispensatio, quæ nihil aliud est quam relaxatio legis in aliquo speciali casu vel pro peculiaribus personis facta a publica auctoritate, manente tamen pro aliis obligatione legis. Hæc vero dispensatio ordinarie ab ipso legislatore aut ejus successore perficitur; fit vero aliquando ab inferiore auctoritate vel ex privilegio, vel ex consuetudine, vel etiam quandoque ex præsumpta rationabiliter superioris voluntate ob gravem causam et temporis angustiam. De hac vero re sermo redibit cum de dispensationibus Matrimonialibus agendum erit.

43. Tandem si de lege agatur inferioris potestatis, potest ea cessare per irritationem, cum nempe superior legem latam ab inferiore nullius valoris esse decernit.

## TITULUS III.

## De Rescriptis.

1. Cum in 2º. titulo B. Raymundus egerit de primo principio juris quod a Principe directe procedit, quodque totam respicit communitatem, in 3º. titulo de alio principio seu fonte juris agit, quod pariter directe a Principe societatis procedit, sed in bonum

individuorum vel alicujus collegii personarum constituitur. Unde jus quod ex hoc fonte dimanat, dicitur *jus particulare*. Hoc principium seu fons juris in *Rescriptis Summi Pont. collocatur*.

2. Rescriptum autem definiri solet: 'responsum supremi Principis ad alicujus supplicationem, relationem vel consultationem in scripto datum'. *Responsum supremi Principis*, quia in communis usu loquendi ecclesiastico solum summi Pont. responsum dicitur 'rescriptum'. *Ad alicujus supplicationem etc.* ut distinguatur a decretis, et dispositionibus, quae motu proprio vulgantur, et a legibus quae non in bonum privatorum sed in bonum commune promulgantur. Hinc rescripta non constituunt jus generale, sed solummodo jus pro singularibus personis vel pro particularibus associationibus personarum, quae illud impetrarunt. Rescripta vero relata in volum. Legum Greg. IX. ideo vim legis obtinent, quia ab ejus auctoritate confirmata sunt pro universa societate christiana. *In Scripto datum* ut distinguatur a responsis datis vivae vocis oraculo.

3. Rescripta alia sunt *justitiae* nempe ad lites, alia sunt *gratiæ*. Hæc distinctio non procedit ex eo quod secundi generis tantum rescripta contineant favorem; rescriptum enim semper exhibet liberalitatem et gratiam Principis. Sed distinctio procedit ex diversitate objecti seu materiae; rescripta enim *justitiae* ea sunt, quorum in precibus et dispositione agitur de negotio judiciali inter partes contendentes explendo, ac Rom. Pontifex vel causam per se decernit, vel judicem aut judices designat et constituit pro causa definienda. Unde dantur judices delegati. Aliando etiam jus obscurum partium interpretatur, quod judex designatus sequi debeat. Rescripta vero *gratiæ* ea sunt quae Principis liberalitatem continent in materia sibi undeque subjecta absque ulla contentione partium. Hinc hæc rescripta continent beneficiorum collationem et alias facultates vel favores.

4. Plures dantur differentiae inter rescripta *gratiæ* et *justitiae*. De aliquibus sermo erit inferius. Interim sciendum est rescripta *justitiae* strictæ esse interpretationis, rescripta vero *gratiæ* in genere esse latae interpretationis. Etenim rescripti *justitiae* objectum est jus partium contendentium, quod pro alterutra parte laedi posset; rescripta vero *gratiæ* nullam dicunt relationem ad jus tertii. Princeps vero generatim præsumitur beneficus. 2º. Rescripta *gratiæ* perpetua sunt, idest cum tempus non fuerit determinatum, lapsu temporis non destituuntur viribus, nisi dolus aut

nimia negligentia possit imputari, ob quam executioni rescriptum non fuerit demandatum. Quare si gratia in rescripto facta est, rescriptum morte concedentis etiam re integra non exspirat: c. 36. de præb. in 6º. c. 16. de Reg. jur. in 6º. et 9. de Off. Deleg. in 6º. Quare in hac materia invocari potest Reg. 16. jur. in 6º. 'decet concessum beneficium a Principe esse mansurum'. Et hoc verificatur etiam quoad illa rescripta quae privilegia et dispensationes et gratiosas facultates respiciunt. Rescripta vero *justitiae* infra annum postquam impetrans judicum copiam habuerit, præsentanda sunt; securus in poenam vel negligentiae vel malitiæ nullius roboris reddi possunt: c. 9. et 23. h. t.

5. Quæstio 1ª. Quinam possint impetrare rescripta. Cum rescriptum detur a Principe propter bonum privatorum constitutum que jus particulare, sequitur omnes posse impetrare rescripta qui capaces sunt jurium in Ecclesia Christi, nec impediuntur ex scelere aut fraude. Hinc in hac materia invocari potest vulgatum principium 'concessum intelligitur quod expresse non prohibetur' can. 8. jam nunc caus. 28. q. 1. et c. 1. de Procurat. in 6º. Quidam vero prohibentur propter scelus, quidam propter dolum.

6. Propter scelus excommunicatione majore irretiti non possunt impetrare rescripta pontificia c. 1. h. t. in 6º. Quae poena etiam percutit excommunicatos toleratos vi Bullæ Martini V. In ipsa enim Bulla nullum favorem excommunicatis concedere vult, sed solum aliis fidelibus innocentibus consulere intendit Pontifex. Ratio autem nullitatis rescripti impetrati ab excommunicato procedit tum ex eo quod excommunicatus juribus in Ecclesia caret, tum ex eo quod Ecclesia conatur fidem censuris irretitum per poenarum metum a via perditionis reducere atque frangere duritiam animi insordescantis in excommunicatione, ut a vinculis ejusdem studeat absolvitur. Cum rescripta concessa excommunicatis sint in se nulla, stylo Curiæ in Bullis et Rescriptis R. Pontificis solet præponi absolutio a censuris latis a jure vel ab homine, sub eo tantum respectu, ut nempe valeat gratia a Pontifice concessa, non autem quoad alios effectus. Unde clausula sequens apponi solet 'oratorem absolvimus et absolutum esse censemus a censuris ad effectum solummodo præsentium litterarum'. Prudens vero est hæc praxis, lites enim removet, quae fieri possent præsertim circa valorem collationis beneficiorum, et maxime circa valorem matrimonialium dispensationum.

7. In ipso autem c. 1. h. t. in 6<sup>o</sup>. datur duplex exceptio. Valet nempe rescriptum concessum excommunicato 1<sup>o</sup>. si hoc rescriptum expostulatum fuerit circa causam excommunicationis ex. gr. si excommunicatus petet a Summo Pontifice per modum simplicis quærelæ judices qui iterum causam expendeant utrum justa vel injusta fuerit excommunicatio contra se lata. c. 41. h. t. 2<sup>a</sup>. Exceptio locum habet cum excommunicatus versatur in conditione appellantis in aliqua causa sive civili sive criminali, in qua se gravatum ob judicis sententiam arbitretur. Sciendum enim est excommunicatum in judiciis actorem esse non posse, sed posse reum esse c. 7. de Judiciis. Quod si in judicio succumbat, potest appellare ac vices actoris in appellatione sustinere, eamque prosequi usque ad exitum causæ. Ratio est quia appellatio consideratur ceu actus non voluntarius sed necessarius et uti species defensionis, quæ nemini potest denegari. Ex qua ratione conceditur excommunicato posse exposcere et valide obtinere rescriptum apostolicum circa hoc negotium appellationis, ex. gr. quo judices deputentur.

8. Secundo rescriptum non valet quod obtentum fuerit per fraudem prout legitur in c. 28. h. t. §. 'sunt et alii qui', et c. 33. h. t. in fin. Fraus autem in capite non attingit internam formam rescripti, quasi nempe obreptio aut subreptio locum habuerit in precibus, sed potius extrinsecam circumstantiam respicit quæ tempore decretalium usuvennerat. In fraudem vero obtinebantur rescripta justitiæ ab extraneis personis quæ aliquod mercimonii genus sectantes in judicialibus quæstionibus rescripta impetrabant, ut eadem venderent illis quorum intererat negotium finiri. Hinc Pontifex decernit rescripta taliter obtenta nullius esse roboris. Censetur enim esse obtenta dolose. Excipitur casus quo rescriptum obtentum fuerit ab aliqua ex illis personis, quæ ut agant pro nobis in judicio, speciali mandato non indigent. Hæ autem personæ designantur a Glossa in c. 33. h. t. verb. 'Personis', ut sunt liberi respectu parentum et viceversa, fratres et affines pro fratribus et affinibus rescriptum obtainentes. Hæ enim personæ absque speciali mandato possunt in alieno judicio agere: L. 15. 'sed et personæ' ff. de Procurat. — Hæc quæ dicta sunt referuntur ad rescripta justitiæ. Hinc prohibitum non est, quomodo quis pro alia distincta persona rescriptum gratiæ obtineat etiam absque ejus speciali mandato. Ita doctores post glossam

in cit. c. 28. v. *sine innixi* etiam legi 'Universis' C. De Precibus Imperatori offerend.

9. **De solemnitatibus rescriptorum.** — Quædam requisita habere debent rescripta in ea parte quæ respicit legislatorem, quædam in alia quæ respicit preces personæ quæ consecuta est rescriptum. Solemnitates rescripti in relatione ad supremum Principem sunt aliæ intrinsecæ aliæ extrinsecæ. Intrinsecæ sunt 1<sup>o</sup>. ut ab ipso Principe detur rescriptum, 2<sup>o</sup>. ut rescriptum voluntatem et verbum Legislatoris indubie et sincere referat. Dubium verbo redditur verbum concedentis rescriptum dupliciter: 1<sup>o</sup>. per manifestum errorem latinitatis c. 11. 'adaudient'. h. t. Nam, ut adnotat glossa ibi, cum rescriptum Papæ per manus plurium officialium maturo judicio transeat et subscribatur, difficile omnino est reperiri errores latinitatis in Rescripto legitime impetrato. 2<sup>o</sup>. Rasura seu cancellatio in loco suspecto gignit falsitatis præsumptionem, quemadmodum de quoquaque scripto, quod solemniter conficiatur: c. 5. de crimine falsi, et c. 6. §. 'sed contra' De fide instrumentorum. Locus autem suspectus censetur præsertim pars dispositiva rescripti, et si sermo sit de dispensationibus matrimonialibus, error vel abrasio in nomine aut cognomine vel in gradu propinquitatis, reddit nullius valoris rescriptum.

10. Solemnitates extrinsecæ sunt, ut ex stylo Curiæ diversa sub forma dentur rescripta gratiæ et justitiæ.

11. Præcipui momenti solemnitas rescripti relate ad oratorem ea est quæ preces respicit. Loquitur de ea Caput 'super literis' 20. h. t. in quo determinatur quandonam obreptio seu falsitatis insinuatio, vel subreptio, idest veritatis silentium nullius roboris reddant rescriptum. Ex hoc cap. sequentem theoriam deducimus. Si ex malitia ingeratur falsitas in precibus, vel reticeatur aliqua exprimenda circumstantia, in pœnam fraudis rescriptum corruit. Mendax enim precator carere debet impetratis. Et quidem si rescriptum plures partes habeat, idest si plures contineat concessiones, omnes irritæ sunt. Principium enim est generale 'precator mendax etc.' Si vero ex simplicitate ignorantiae obreptio vel subreptio contigerit, videndum est utrum verum non expressum, vel falsum suggestum causa motiva fuerit necne, idest vera causa concessionis vel solum impulsiva, ob quam scilicet facilius Princeps concessit rescriptum; si primum, rescriptum nullius valoris est, si secundum, valet rescriptum. Et quidem si rescriptum plu-

res partes seu concessiones habeat, nullum redditur solum in ea parte quæ respondet precibus subreptitiis vel obreptitiis; in reliquis autem valet. Si quæratur quænam circumstantiæ constituant causam motivam, quænam vero non, sed solummodo exhibeant causam impulsivam, notamus eas præcipue determinari ex stylo Curiae. Attamen nisi clare constet causam fuisse motivam, præsumitur semper causa solum impulsiva; nam standum est semper pro valore actus legislatoris quoties contrarium non probetur.

12. Quamvis autem c. 20. h. t. specificē de rescriptis justitiae pertractet, tamen theoria de obreptione et subreptione in eo proposita applicari potest, et a Doctoribus applicatur etiam rescriptis gratiæ. De rescriptis vero justitiae tantum accipienda sunt verba Pontificis sequentia ‘nihilominus (saltem in forma communi) si literas dedissemus, delegatus non sequens formam in literis ipsis appositam, secundum ordinem juris in causa procedat’. Ut intelligantur rite verba hujusmodi sciendum est, aliquando Pontifices in rescripto justitiae non solum designasse judices, qui causam viderent, sed etiam præcepisse formam judicii et quasdam regulas a judicibus observandas. Quo in casu literæ apostolicæ dicuntur datae in forma non communi; judex enim non potest sequi normas a jure communi pro iudiciis ordinandis constitutas, sed normas servare tenetur præscriptas a Pontifice. Hoc posito, dispositio Innoc. III. in nostro capite est, ut si obreptio vel subreptio ex simplicitate procedat, et constituat tantummodo causam impulsivam, ita ut si preces nulla ex parte defecissent, Pontifex saltem in forma communi gratiam concessisset, rescriptum valeat in forma communi, idest valeat saltem quoad delegationem judicis, qui judex delegatus debet causam videre ad normam juris communis, non autem juxta speciales normas designatas in rescripto.

13. **De descriptorum interpretatione.** — Regula generalis et obvia est ut cum verba clara et aperta sunt, nec ambiguïtatem referunt accipienda sint juxta propriam significationem, et communem loquendi usum. Deducitur regula ex pluribus textibus juris civilis. Ex. gr. ex L. 25. ff. De Legatis (III), sed traditur etiam in c. 12. de decimis. In quo glossa docet a forma verborum sine certa scientia non esse recedendum.

14. At si obscurum quid vel ambiguum in rescriptis occurrat, distinguenda sunt rescripta justitiae a rescriptis gratiæ. De primis principium valet, esse scilicet strictæ et rigidæ interpretatio-

nis; agitur enim de jure servando inter subditos, et per ea detrahitur jurisdictioni ordinariorum judicum. Hinc 1<sup>o</sup>. rescripta justitiae ita accipienda sunt, ut in causa videnda non recedatur a jure communi nisi expressa a Pontifice concedatur: c. 18. h. t. 2<sup>o</sup>. Nec de persona ad personam, nec de casu ad casum pertrahere licet rescripti dispositionem cc. 15. et 35. h. t. præsertim si personæ vel negotia sint altioris ordinis. 3<sup>o</sup>. Verba sumi debent ita ut quo minus fieri potest, præjudicium juribus tertii inferatur.

15. Si dubium sit vel obscurum rescriptum gratiæ, et contineat aliquid vel quod præjudicet juri tertii, vel quod aduersetur juri communi, est stricte accipendum. Ratio prioris partis deducitur ex c. 15. de off. Deleg. ubi Pontifex ait ‘non tamen est nostræ intentionis Dioecesano Episcopo præjudicium generare’. Item ex c. 16. de Privil. Adest enim Regula Cancellariæ 18. de jure quæsito non tollendo. Secunda pars probatur ex eo quod recessus a jure communi censemur odiosus c. 1. et 2. de Filiis Presbyt. in 6<sup>o</sup>. et reg. jur. 28. in 6<sup>o</sup>. quæ ita describitur ‘quæ a jure communi exorbitant (idest ‘ut ait glossa’ deviant ac discordant) nequaquam ad consequentiam sunt trahenda idest valent solum quoad casus expressos in concessione, ut docet glossa. Talia sunt privilegia quæ exorbitant a jure et dici solent vulnus legis.

16. Si autem rescriptum gratiæ exhibeat veram gratiam, quæ nempe sit præter jus, nec ullius tertiae personæ juri damnum inferat, proprieque exprimat liberalitatem principis, benigna lataque est interpretatione accipendum rescriptum: Ut enim ait Pontif. in c. 22. de Privilegiis, ‘cum nihil exceperit, et potuerit excipere, ac in beneficiis plenissima sit interpretatio adhibenda’. Cui consonat c. 4. de Præb. in 6<sup>o</sup>.

17. At in hoc cap. 4. datur regula generalis exceptio pro rescriptis in quibus fiunt concessiones beneficiorum ecclesiasticorum. Hæ enim concessiones censentur factæ post preces, quæ generatim referunt vel ambitionem vel importunitatem. Quare in eodem cap. ait Pontifex sub nomine beneficii pensionem non comprehendendi, nec sub nomine canonicatus Ecclesiarum civitatis venire canonicatum Ecclesiæ Cathedralis. Hinc a pari si in concessione sermo sit de Præbenda vel canonicatu, non intelligitur Dignitas vel Personatus.

18. **De tempore in rescriptis considerando.** — In rescriptis ut eorum efficacia definiatur, considerandum est tempus concessionis Rescripti, quod dicitur tempus *date*, ac tempus præsentationis

eius quæ fiat executori, quod vulgo tempus *præsentatæ* appellatur.

Dicendum vero est 1º. in Rescriptis justitiæ, ut rescriptum vim suam exserat, attendendum esse tempus præsentationis rescripti c. 59. de Appellation. et c. 12. eod. tit. Facta enim præsentatione, cognitoque juridico valore rescripti delegatus judex incipit habere jurisdictionem in causa sibi commissa. Hinc si judex delegatus post signatum rescriptum, sed ante præsentationem, qualitatem amiserit, cui adnexa fuerat jurisdicção delegata ex. gr. non amplius fuerit archidiaconus, vel alia dignitas, non potest causæ cognitionem suscipere. c. 11. h. t. in 6º. Quare insuper si obtineatur judex delegatus pro aliqua causa, quæ apud judicem ordinarium pertractatur, hinc non tenetur processum intercipere, antequam literæ apostolicæ novum judicem designantes fuerint judici delegato legitimate præsentatæ cit. cap. 59. De Appellat. Licet vero rescriptum justitiæ incipiat valere a tempore præsentationis, tamen quoad suam extensionem referendum est ad tempus concessionis. Sane in cap. ult. h. t. prohibit Pontifex quominus rescriptum pro litibus finiendis datum inter certas personas, protrahatur ad alias causas, quæ tempore concessionis ortæ non erant inter litigantes.

19. 2º. In rescriptis gratiæ quoad eorum vim est attendendum tempus *datae*; idest eo ipso quod Rescriptum signatum est a Pontifice, illico parit jus quæsumit oratori. Sane c. 7. de Præb. in 6º. ita sumatur ‘in impetratio beneficiorum inspicitur data, non præsentatio vel acceptio’. Ratio est quia in rescriptis gratiosis Pontifex non committit negotium videndum alicui; sed ipse cognitis rationibus, negotium concessionis videt et decernit. Hinc in c. 9. h. t. in 6º. Pontifex respondit, clericum vi obtenti rescripti consequi non posse beneficium curam animarum adnexam habens, quia tempore concessionis rescripti ætatem congruam non attigerat. Hinc in c. 7. h. t. Pontifex Episcopo Tornacensi nuper electo imperat, ut rescriptum, quod a canonico executioni mandari debebat, ipse Episcopus modo exequatur, quia tempore *datae* erat et ipse canonicus. Hinc etiam rescriptum de assequendo beneficio proxime vacaturo non extenditur ad beneficium quod inde erigatur Clement. un. h. t.

20. Excipitur casus in quo gratia non est in rescripto plene confecta; sed vel alligatur conditioni futuræ, vel committitur alteri facienda, ex. gr. si Episcopo committatur ut Titium provideat

in præbenda proxime vacatura; in hoc enim casu circa ætatem Clerici respicitur tempus quo beneficium vacat c. 29. de Præb. in 6º. consonat c. 36. cod. in 6º. §. fin.

21. Quæstio instituitur de prælatione rescriptorum. Præmittendum est ex duobus rescriptis super eadem materia obtentis illud anterius reputari quod fuit prius obtentum. Hoc posito in c. 1. de Costi. in 6º. traditur principium leges posteriores destruere leges generales anteriores contrarias, non vero abrogare peculiaria statuta locorum ac consuetudines rationabiles particulares, seu juria particularia, nisi de ipsis mentionem faciant. Quia nempe legislator præsumit cognoscere jus generale, quod in scrinio pectoris sui censemur habere; non præsumit vero cognoscere jus particulare. Voluntas autem non fertur in ignotum. Ex qua theoria infertur generale principium pro rescriptorum prælatione. Id est cum Rescriptum induat naturam legis particularis, sequitur, per concessionem rescripti posterioris non destrui efficaciam rescripti anterioris et contrarii, nisi in posteriori prius obtentum rescriptum commemoretur. At res est aliquanto fusius explicanda. Si duo rescripta justitiæ a pluribus impetrata fuerint diversis temporibus, videndum est utrum prius fuerit generale et alterum speciale. Si generale præcedat, et speciale fuerit ab adversa parte obtentum, speciale hoc rescriptum valet, licet de primo sileat cc. 1. et 14. §. Quoniam h. t. Ex regula enim juris 34. in 6º. generi per speciem derogatur. Generale rescriptum est illud in quo Pontifex judicem constituit ad videndam universitatem causarum alicujus Provinciæ, Diœceseos, capituli etc. Speciale rescriptum est quando judex delegatur ad aliquam determinatam causam videndam.

At viceversa si primum fuerit speciale, alterum generale, quoad causam circa quam obtentum est rescriptum speciale, servandum erit hoc speciale rescriptum, quia non præsumitur Pontifex voluisse concessum jus auferre, nisi expresse de eo caveat. Quoad alias causas valet secundum rescriptum.

22. Si æque generalia fuerint, valet prius nisi in secundo mentio de priori fiat. Si utrumque est peculiare et specificum, valet prius nisi in secundo fiat de priori commemoratio c. 3. h. t. Ratio datur in cap. 12. de off. et potest. Judicis deleg. ‘Quoniam si memores fuissemus nos pro prædicto N. literas direxisse, pro adversario nullatenus dedissemus. Ex capp. vero 9. et 23. h. t. datur exceptio, et rescriptum posterius in quo de priori mentio